

Tatinghoff in Clav. phil. nat. cap. 7. q. 2. eandem per principia Philosophiæ Cartesianæ jam tum manifestam red- ditam esse.

VI. Tenebræ nudam dicunt privationem luminis. Unde iterum absurdus est Gorlaeus, existimans, tenebras esse quid reale, ac ipsum est lumen, ut, sicut hoc est species visibilis lucis, ita & tenebræ sint species visibiles corporum opacorum.

VII. Nec minus ineptè Aerem, ut de igne taceam, excludit idem è numero Elementorum.

IIIX. A Chymicis verum aurum produci posse testatur experientia plurimorum, Raymundi Lullii, Pharmacopolæ Tarvisini, Paracelli &c. Qvin & Cornelius Agrippa se illud facere posse ait, lib. I. de Occulta Philo- soph. cap. 13.

IX. Sensum sine mente esse non posse ineptè proba- re nititur Gometius Pereira, Philosophus ac Medicus Hispanus, in opere triginta à se annis elaborato, quod Antoniam Margaritam inscripsit. Unde rectè refutatur, licet suppresso nomine, à Fr. Vallesio lib. de Sacr. Philo- soph. cap. LV. p. 318.

X. Contra distinctionem potentiarum ab anima malè urgent nonnulli, quòd inde seqvatur animam ra- tionalem esse compositam ex subjecto & accidente, atq; per consequens unum per accidens.

